



25
AD
*SERENISSIMUM AC POTENTISSIMUM
SAXONIAE ELECTOREM,*

DOMINUM,
**DN. FRIDERICUM
AUGUSTUM,**

DUCEM SAXONIAE, JULIACI, CLIVIAE, ET
MONTIUM, ANGRÆ IT. ET WESTPHALIÆ, S. ROM. IMPERII AR-
CHI-MARESCALLUM ET ELECTOREM, LANDGRAVIUM THU-
RINGIÆ, MARCHIONEM MISNIÆ, ET UTRIUSQUE LUSATIÆ,
BURGGRAVIUM MAGDEBURGI, PRINCIPALI DIGNITATE COMITEM
HENNEBERGICUM, COMITEM MARCÆ, RAVENSBERGÆ ET
BARBY, DYNASTAM RAVENSTEINII, &c. &c. &c.

DE
AUSPICATISSIME NATO
ELECTORATUS SAX. HEREDE,
*SERENISSIMO PRINCIPE
ET DOMINO,*

**DN. FRIDERICO
AUGUSTO,**

DUCE SAXONIÆ JUL. CLIV. ET MONT. ANGRÆ IT. ET
WESTPHALIÆ, LANDGRAVIO THURINGIÆ, MARCHIONE MIS-
NIÆ ET UTRIUSQUE LUSATIÆ, &c. &c. &c.

GRATULATIO,
TESTANDÆ PIETATIS DEVOTISSIMIQUE OBSEQUII CAUSA,
IN TEMPO ARCIS
WITTEMBERGÆ
HABITA

A
CHRISTIANO AUGUSTO L. B. A. FRISEN,
VI. ID. NOVEMBR.
M DC XCVI.

WITTEMBERGÆ, Typis CHRISTIANI SCHRÖDTERI, Acad. Typ.

AD
SERENISSIMUM AC POTENTISSIMUM
SAXONIAE ELECTOREM
DOMINUM

DN. FRIDERICUM
AUGUSTUM

DUCEM SAXONIAE, JULIACI, CIVITAE ET
MONTIUM ANGLIAE ET WESTPHALIAE, SAONIAE, RAR-
CHIMASCALLEN ET ELECTORUM, LANDGRAVIUM THU-
RINGIAE, MARCHIONEM MISENENSIS, ET TITULUM LUSATIAE,
BURGUNDIAE, VANDUNIBURGI, PRINCIPALITATE COMITUM
HENNERGICUM, COMITUM MARCAE, RAVENSBERGENSEM ET
IN REBUS DYNASTIAE RAVENSTINENSIS, &c. &c.

DE
ASPECTU SUISSIMAE NATAE
ELECTORALIS SAX. HEREDITARIAE

ET DOMINO
DN. FRIDERICO
AUGUSTO

DUCE SAXONIAE, JULIACI, CIVITAE ET
MONTIUM ANGLIAE ET WESTPHALIAE, SAONIAE, RAR-
CHIMASCALLEN ET ELECTORUM, LANDGRAVIUM THU-
RINGIAE, MARCHIONEM MISENENSIS, ET TITULUM LUSATIAE,
BURGUNDIAE, VANDUNIBURGI, PRINCIPALITATE COMITUM
HENNERGICUM, COMITUM MARCAE, RAVENSBERGENSEM ET
IN REBUS DYNASTIAE RAVENSTINENSIS, &c. &c.

GRATULATIO
IN TEMPO ARGIS
WITTEMBERGENSIS

HABITA
A
CHRISTIANO AUGUSTO I. B. A. FRIDERICI
VI. ID. NOVEMBER.
MDC. XXVI.

WITTEMBERGEN, Typ. Christiani Schöndorferi, 422. Typ.





SI sanctissimus ille & auspiciousissimus, qui nuper illuxit, dies, quo nostras eodem hoc tempore Saxonia se solatur & recreat; de quo cogitans, omnes, quibus distracta ad hoc usque tempus fuit, curas amolitur ac rejicit; non admitteret alios privati in publico gaudii testes, quam quos benignitas Principis in aulae & purpuratorum cooptavit consortium; nec ferret aliquem in gratulantium coetu, nisi magnitudinem laetitiae hujus aequare verbis, & dignitatem rei eloquio assequi, idoneusque tam augustae spei queat esse interpres: credo, non me tantum imprudentis consilii daturum poenas, sed etiam non temere repertum iri quemquam, qui tantum sibi laudis tribuat, tantamque dicendi vim, quae ad fastigium hujus felicitatis assurgat, impudentissime arrogare ausit. Etenim, quantum ad me pertinet, quae haec foret audacia? quod crimen? si,
A quam

quam sola maximi Principis gratia meritis impertitur fortem, illam confidentius mihi sumerem ipse, quavisque quodam nactus jure, splendidissimis hominibus, ab omni ornatu cultuque etiamnum destitutus, me, non arcesfitus, immiscerem? Sed alii fortasse deposcant sibi has partes; quas tamen vel disertissimus quisque merito pertimescat, & cum dicturo ad aram Lugdunensem Rhetore palleanat & subito conticescat, tantæ rei causa, tam acrem censuram subiturus. Quippe quod non privati, nec unius hominis, sed Patriæ, sed Reipublicæ, sed Saxonæ totius Natalis hic esse videatur, qui omnes delicias complectitur, & tot Regum, Principum, hominumque animos, ad summam & incredibilem expectationem plausumque excitavit. Atenimvero, **INDULGENTISSIME ELECTOR**, (cur enim tanquam præsentem non alloquar submissè & venerer, quem obsequii sanctitas & fides, inter absentes numerari, non sinunt?) pro ea, quæ est summa tua benignitas atque clementia, nemini civium tuorum sacri palatii aditum præcludis; nemini facultatem gratulandi eripis, nec quenquam a testificatione lætitiæ prohibes:
ut sim-

ut simplicitati votorum nunc quoque locus
fit, aut si tuorum civium aliquis, prout amor
& gaudium tulit, festum hunc agere diem
coeperit, affectusque vel quaecumque prae-
buerit experimentum, offensae metus nemi-
nem arcere videatur. Qua fiducia ego fre-
tus prodeco in hanc concionem, & fausta ac-
clamationis formula explere partes meas in-
gredior; hoc magis incensus, quò justiores
officii rationes habeo; hoc sanctius, quò
majori religione majestati fastigii tui, tuæque
Domus, memet addixi semper & consecravi,
penitusque ut exprimam, devovi. Equidem
non sum tam rerum omnium ignarus, quin
summus folii splendor, & apparatus tantæ for-
tunæ respondentem obversentur ante oculos;
quæ spectacula edi, quos ludos instrui, quas e-
pulas adornari, quæ erogari munera conve-
niat. Sed hæc tui, DOMINE, propria auspicii
sunt. Privatorum conditio est, nato Principe
vota solvere, dicere laudes, bonis faustisque
ominibus prosequi Successorem à DEO da-
tum, fidemque obsequii sine fraude testari.
Ac mihi quidem dum hac pietate defungi
est constitutum, veniam tribues, BENI-
GNISSIME ELECTOR, subiecto, quem
amor

amor & reverentia tui imperii incitat; con-
cedes clienti, quem religio beneficii cogit;
largieris civi, quem communis felicitas im-
pellit; permittes denique homini, ea gente
prognato, quæ quot vidit SAXONES E-
LECTORES, tot munificentissimos beni-
gnissimosque Principes experta est; quot
spatia in his terris confecit, tot accessiones
beneficiorum sensit; ut quicquid vel salutis,
vel ornamenti, vel dignitatis uspiam habet,
id omne tuæ, Majorumque tuorum, quos
coelum recepit, beneficentiæ, liberalitati, gra-
tiæ ac tutelæ, æterno obsequii, & nunquam
divellendo nexu, ferat acceptum; ac sibi ad-
eo, ubi præterita cum præsentibus confert,
fiduciæque in futurum calculum ponit, na-
tum quoque & exortum fulgentissimum fi-
dus, obsequentissimè veneratur. Ipse hic mihi,
in quo consisto, locus, pietati erga Principes
ab antiquo sacer, & vel eo venerabilis no-
mine; ipsum hoc templum, quod votis ci-
vium, pro rebus Saxoniae prosperis, iden-
tidem personuit, spem veniæ haud exiguam
facit, adduntque animum (si id coram Te
fas est commemorare; & quidni? cum so-
leas certantibus in gloria obsequii civibus,
quæ

quæ bonitas tua est, CLEMENTISSIME
ELECTOR, delectari;) vestigia patris, cui,
non absimili instituto facienti ex hoc san-
ctissimo suggestu verba, Divus Genitor tu-
us, clementissimè indulgit. Vos certè, quos
nunc, conciliata Principis voluntate, iterum
alloquor, Patres & Hospites, facilè suffra-
gantes habeo, qui publicè privatimque in
idem gaudium, eandemque spem, mecum
intenditis animos, & quanquam intelligitis
optimè, quid digna Principe oratio requi-
rat; cogitabitis tamen, nec voluntatem co-
natumque, in re tanta, esse in vitio, ac vel
eò æquius de me existimabitis, quò vos sem-
per cupidiores mei ac studiosiores perspe-
xi, quòque enitar diligentius, ut nec meâ
tamen culpâ quicquam virium, quarum o-
mnium hoc tempus fructum jure a me re-
petere debet, reliqui fecisse videar.

Qualis solet esse terræ illius facies, tristis
& inamoena, quæ imbrium sæpe deciden-
tium vi pinguescere solita, repentina sicci-
tate ad sterilitatem usque exaruit: eandem
prope Saxoniam nostræ, ad hunc usque feli-
cissimum diem, nec exiguo continuatam in-
tervallo, deprehendere licuit. Crebrò, sed

B

fru-

frustra, respeximus coelum, & summum so-
lumque foecunditatis parentem imploravi-
mus; quum ille interim, velut ordinato ad
poenam fato, omnem ubertatem recusare
videretur. Revolvamus, Auditores, memo-
riam superiorum temporum ultimam; re-
deamus ad Divum JOHANNEM GE-
ORGIUM I. ascendamus ad ALBER-
TUMque, magnum hujus propaginis con-
ditorem; quorum temporibus eadem diu
concepta legimus vota: Sed aut fallor, aut
multò nobis gravior incubuit metus, quibus
sub firma & vigenti aetate Principibus, aut
unicus ex propinquo erat, aut nemo latus
claudebat, orbitasque invisa pertinacissimè
imminebat. Oblitine sumus, ut nuper non
desierit illa, sed coeperit? ut eadem, versan-
te inter discrimina belli ac praeliorum Heroe
nostro, metu ac terrore suo ingravescere vi-
sa sit? Fuit equidem incolumis, &, Numine
fortunante, superavit FRIDERICUS AU-
GUSTUS, OPTIMUS PRINCEPS: sed
quis non ingemuit, ubi omne Saxoniae so-
latium, in uno hoc sanctissimo capite requi-
escere, expositumque tot variis, quibus agi-
tantur res humanae, casibus, consideraret?
Nec

Nec potuit non, hæc ipsa Patris Patriæ con-
ditio, gemitus lacrymasque ciere illis, quibus
boni civis partes curæ sunt, quique, ut par
est, regiae Domus fortuna se commoveri pa-
tiuntur. Magnum Aulæ Imperiique muni-
mentum est, numerosa proles, aut vel unus
etiam, natus ex Principe heres: nam & Prin-
cipis nihil æque auctoritatem vindicat, &
nihil æque securitatem stabilit, conciliatis-
que civium, validissimo vinculo, animis, fo-
lium roborat & firmat. Jam & natura dul-
ce carumque est liberorum nomen, tristis-
que ac molesta etiam privatis orbitas, &
commune hoc parentibus votum, propa-
gandi successionem in liberos, ex sanguine
suo descendentes. Quod Principum maxi-
me interest; quippe quibus multò jucun-
dissimum accidit, habere successores, non
quærere; quasi per manus filiis tradere
imperium, ac prospicere posteris, horum-
que agere causam, & futura disponere, casus-
que incertos antevertere consilio, ac pruden-
ter vitare: ut vel sic conditores stirpis ab in-
teritu se vindicent, nec vivere post fata sua
desinant, & vivam adeò generis imaginem,
in liberis relinquant; qui animo majorum
fimi-

similes, nomen & decus immortale paren-
tum fervent, ac perpetua serie, alii post alios,
semper in rebus humanis supersint. Quæ
cum ita sint, nemo probi erectique civis of-
ficium explet, quin, ubi tot videt in summo
capite lætandi argumenta, ipse afficiatur im-
pense, ac vel sola religione conscientia &
amoris, quo patriam, & qui ei præsunt, com-
plecti maximo decet, cum tripudio quodam
exultet. Quare, veniat in mentem depulsæ de-
bellatæque orbitatis, redditique in uno Prin-
cipe & restituti Saxoniam nitoris, quam ille, ut
Sol & dies, non parte aliqua, sed statim totus,
velut omnibus in commune datus, luce sua
& calore complevit. Stat Saxonum Republ.
non eodem tantum statu, sed & meliore con-
sistit loco, redditæque ampliores res nostræ,
& versæ in melius, ut in eodem permaneant
vestigio, lætissimam præbent votendi cau-
sam. Habestua, Saxonia, vota! firmata in
antiqua sede Respublica! Ac videor mihi
quidem percipere, illum concurrentium ad
gaudia strepitum, ubi primum, de nato Sa-
xoniam Principe, nuntiatum datumque signum
est; oppletas undique vias; acclamations
passim auditas; alacrem hinc atque inde po-
pulum,

pulum, ad gratulationes effusum: ubiqve par
gaudium, paremque clamorem. Videor mi-
hi audire Misnenses & Saxones, lætis verbo-
rum formulis certantes, adacti in singulos
dies affectus, dare documenta: in illa præ-
cipuè, Electorum Principumque altrice ur-
be Dresena, quæ per tot annos, orbitatis me-
tu depressa, multum pristinae amoenitatis se
amisisse testabatur. Sed in hæc omnia ci-
ves tui, **MAXIME PRINCEPS**, non metu
erumpunt, nihil enim grave patiuntur; non
adulatione, cuius etiam abominantur speci-
em: sed ingenua solidaque fide, & quod mi-
te ac paternum venerantur imperium; quale
sempiternum in posteris tuis, etiam recepto
Te, sed post seros, seros inquam, annos, in-
ter coelites, continuari optant. Nimirum
hanc Saxones tui gloriam, ab ultimo gentis
suae tempore, servant, ut si maximè opibus
divitiisque, in quas sæpe casus humani, tem-
porumque injuriæ sæviunt, aliis concedere
modestè velint, & inferiores quoque inter-
dum se agnoscant: pietate tamen in Princi-
pes, firmi semper immotique sint, & erga su-
periores fide, in quam nihil potest fortuna,
nulli terrarum populo posteriores videan-
tur.

C

tur.

tur. Non præmiis, non calamitatibus, non periculis dimoti a constantia & fide unquam recesserunt. Hinc ergo, in tam prospero rerum cursu, imo in tanto felicitatis, uno die partæ divinitus, cumulo, descivisse ab antiqua laude, & deflexisse temere, ac turpiter degenerasse credantur? Atque ut sine fuce & fraude amorem perspicias, omnino ad infimos quosque penetrat gaudium, & familiaribus pariter ac domesticis se insinuat, vimque suam in animorum latebris ac recessibus explicat: ut omnibus in locis, nemine, qui audiat, qui referat, arbitro, sermonibus præconiisque celebretur. Quæ Tua est, PROVIDENTISSIME PRINCIPUM, ac propria felicitas, nec solo sanguine, & succedendi jure comparata; sed beneficiis summis, & leni mansuetaque humanitate excitata. Non, ut alia subjectis imperantur, ita & amor legibus sancitur; neque est enim ullus, tam impatiens dominationis affectus, tam erectus, tamque liber, nec qui magis paria exigat & vices. Amant Te tui, DOMINE, non tantum, quod ipsis munere divino datus es, salutis publicæ Præses & rector, jureque natalium Princeps (quod quidem vel solum eorum sufficeret religioni):
sed

fed &, quod utrisque longè honestissimum,
& Tibi inprimis gloriosum, quia ipse amas,
consentientique animo votis tuorum re-
spondes. Augustus, sapientissimus ille Ro-
manæ gentis Princeps, Reique publ. stator.,
ascitis undique & inductis in familiam libe-
ris, subsidia circumspexit, & dominationi
quæsit: neque eò secius magnus ille terra-
rum Orbis domitor, Alexander, contemni
orbitatem suam graviter ferebat, & injuriis
insidiisque obnoxiam, querebatur. Tibi
multò justior votorum constitit ratio: qui
nec fidem tuorum, tot probatam seculis,
totque periculis defensam, in vanam suspici-
onem adducis; nec dominatum imponis; sed
Legibus, exemplisque optimis ac institutis,
Patrem demonstras. Hucusque verò, Au-
ditores, privatorum inprimis lætitiæ ad-
umbravi: sed quantum illam magis commu-
nem habeo, cum civibus fidis, patriæque a-
mantibus; tantò & eam difficilius assequor.,
& minus exprimere verbis possum. At nunc
intrannda verecundè Principum limina sunt,
& summa veneratione animi, declaranda
gaudii majestas; sed hoc moderatè, & cum
sacro quodam, qui adeuntes retrahit juxta ac
impe-

impedire solet, horrore. Equidem illum PA-
RENTIS publici sensum, nemo sibi temere
pexspexisse penitus videbitur, qui norit, divi-
niores esse, quibus animi Principum ferun-
tur, motus, hominis privati ingenio haud me-
tiendos. Solent læta ac prospera, præsertim
si expectata, sed inopinatò eveniant, præ-
stringere mentis aciem, & obscurare oculos;
cohibere linguam; artus omnes pertentare
& nervos: inspicias lætantes mox exilire, qua-
sique extra seiplos rapi; mox stare attonitos,
& vix credere felicitatem; accipere nunti-
os & amplecti; excurrere ad amicos; præ-
dicare res secundas; multa facere sponte; plu-
ra instinctu quodam & imperio animi: &
posteaquam copiosior, à præcordiis, recessit
sanguis, ubi spatium menti datum est; tum
verò identidem oblectare se amœnitate e-
ventus, & recreare. Sed an fas est, vulgari-
bus formulis, magnitudinem gaudii in PA-
TRE PATRIÆ, animo præcipere, & præfi-
denter conjectare? an integrum est, intimos
animi diviniore rimari recessus? Credo ta-
men, subinde providere futura divinum
Principem, & instantia cogitare ante, ac soli-
citè augurari Successorem, virtutis suæ æ-
mu-

mulum ac socium, eumque intueri certum
atque exoptatum Heredem, educandum-
que per domestica laudis exempla, ac di-
gnum avito paternoque fastigio olim de-
stinare. Jam quo existimabitis intimo
gaudio affici, compleri, & perfundi PRIN-
CIPEM nostrum; quod putabitis incredibi-
le addi ad felicitatem momentum; quando
ipsas AUGUSTI pariter ac AUGUSTAE
gratulantium, voces coram excipit, Sponso-
resque ad sacrum fontem, Filio in spem Reip.
nato, omni necessitudinis officio concilia-
tos habet, & novo demum benevolentiae pi-
gnore sibi conjungit? Qua felicitate nihil
est sanctius, nihil augustius; venientibus in
partem gaudii, maximis in orbe omni san-
ctissimisque Principibus; atque id sincerum
esse necesse est, comprobata tot monumen-
tis Saxonum fide, benignitateque Augusto-
rum, tantis confirmata signis. Atque utinam,
quum in hunc deveni locum, ea mihi coelesti
beneficio tribuatur dicendi vis, quæ non par-
tem hujus rei attingeret; sed omnes impleret
numeros, & ipsos etiam animos verè Augu-
stos, suavitate quadam alliceret, ac permulce-
ret. Multi quidem, suspensis dubia expectatio-

D

pecta-

ne animis, coeli astrorumq; motus observant;
& ubi deerrantes stellas jungi, aut opponi
sibi, conspiciunt, magno studio curaque no-
tant; inde quendam eventuum conjecturam
capiunt, & magna serie de futuris pollicentur:
operâ, si verum fateor, plerumque inutili, aut
intempestivè sedula, per sæpe & noxia ac pe-
riculosa. Huc, huc, attendatis quæso ani-
mos, huc defigatis oculos, Auditores, huc
mentis acie incumbatis, ubi in una urbe Vin-
dobona tot sidera, imo Soles radiare, tam
jucundo salutariqve in publicum aspectu se
reficere intelligimus, ac sanctè reputamus.
Quod omnis miretur posteritas ac deprædi-
cet, ævumque præsens æternis inscribat mo-
numentis: ut cognoscant, exemplo iterum
illustri, quicunqve futuri sunt; non secula
cum seculis necti arctius, nec tempora tem-
poribus respondere propius, quàm Saxo-
num, erga Austrios, constantiam & fidem.
Qui nunquam passi sunt, se ab illa amicitiae
necessitudine sejungi, atqve omni tempore
nihil prius in votis, nihil antiquius habue-
runt, quàm ut observarent colerentqve Au-
strios, ac pro iis consilia inirent, & si respo-
sceret, præliis experirentur. Quid comme-
mo-

morem ALBERTUM, qui Austriam armis
asseruit, & FRIDERICI III. ac MAXIMILIA-
NI, AUGUSTORUM, tutatus est majesta-
tem, repressisqve hostibus, tandem, in castris,
confecto gloriae cursu, finiit vitam? Quid
MAURITIUM, qui fidem, ac in auctoritate
AUGUSTI nominis stabilienda, defixum a-
nimum, vitae tandem ipsius jactura, & san-
guine suo obsignavit? Quid AUGUSTUM,
Martii hujus Principis Fratrem, quem tres
ordine AUGUSTI summis officiis habue-
runt conjunctum, ut fratris eum patrisqve
ducerent loco? Quid reliquos ordine enu-
merem Majores nostri Herois? quorum nul-
lus deflexit ab officio, nullus deseruit debitas
sibi partes; ac fuit, fuit tempus, cum solus pro-
pemodum Saxo, afflictis Imperii AUGUSTI-
qve rebus, robur & remedium afferret; cum
ad restringendum incendium accurreret,
periculoq; patriae maximo ipse se objiceret;
primus fortiter irrueret in hostes, clypeoqve
suo cladem averteret, ac praesentissimam ca-
lamitatem. In quae publicae, & semper vi-
eturae laudis, aeterna monumenta intuentem
FRIDERICUM AUGUSTUM, bellandi
cupidissimum Principem, quid mirum, si vi-
gor

gor excitet Martius, & divinus quidam ardor
incendat, ac generosus impetus subeat, tot-
que tropæa in eandem viam, eodem avitæ
paternæq; fortitudinis tramite, deducant? Et-
enim, nulli Majorum suorum affectu, nulli
Principum fide erga Cæsarem concedit; &
cùm res Imperii communes pro virili adju-
vat; tum versus illum, quæ Orientem spe-
ctat limitem, barbarorum incursionibus ex-
positum, res AVGVSTI, domesticas ac pro-
prias, felicissimè defendit: tantâ cura, tanta
alacritate; ut in generatum velut a natura in-
Cæsarem, fundatumque in sanguine Saxo-
num, amorem, documento memorabili et-
iam posteri agnoscant. Maçte hoc animo,
FORTISSIME PRINCIPVM, maçte hac
fide tua! maçte constantia, & celeritate per-
sequendi hostes! Conscius Tibi es, Te pro
re Christiana, pro Cæsare stare in armis;
constat Tibi firmissima propositi ratio, nec
times malevolorum voces, quem nec acies
hostium terrent. Cognoscis, **SAPIENTIS-
SIME PRINCIPVM**, quàm sit e re Christi-
ani orbis, fines Austriæ firmari contra bar-
baros, & res AVGVSTI optimo stare loco:
quàm versentur in periculo membra, quàm
malè

malè habeant & affligantur, capite quoque modo laborante, & morbis affecto; quam ipsa quoque dolorem sentiant, & difficultatibus temporum ærumnisque discrucientur. Numen ipsum auxiliatur & favet consiliis, armaque tua fortunat, & tumidos, opinione virium, barbaros, ac inflatos ferocientesque, tuo auspicio compescit. Servasti ab immani irruptione Daciam; rediit hostibus terror ac metus: & cum superbirent elati audacia, jamque, suorum confisi numero, destinarent triumphos; adventu tuo & fortitudine perculsi, non secus, ac si mutata rerum temporumque vices essent, recesserunt timidi, atque in latibula sua se receperunt. Ut nolles configere denuo, moderatio tua, quò comparceres sanguini militum, pervicit; ut neque hostes tui vellent, tua fortitudo effecit. Inferet Te coelo grata posteritas, atque inter maximos Duces consecrabit; quorum numerum jam auges, & sapientissimi terrarum orbe Principis judicio, gloriam amplificas, eique cumulatissimè satisfacis; qui suas opes, suos fines, sua Regna, exercitumque, tot jam periculis præliisque invictum, tuæ credidit fidei, tuæ etiam tutelæ commendavit.

E

Maeste

Ma&e hoc æterno summæ virtutis testimo-
nio, **FORTUNATISSIME PRINCEPS!**
& charus **LEOPOLDO AUGUSTO**, Pio,
Felici, Justo Imperatori, Victori ac Trium-
phatori; qui neminem laceffit injuriis, & ge-
rit bella, non provocat; vim propulsat, non
infert; totqve & tantos irruentes in se hostes,
pietate & constantiâ sua longissimè repellit;
charus **JOSEPHO, ROMANORUM REGI**,
Patriæ delicio, gratulationibus & votis tuo-
rum assiduè fruire! Sed quò me abripit
pietas? Nempe dum maximi, quo lætamur,
beneficii, originem altius perscrutor, occur-
rit ex alio aliud, ipsumqve hoc tempus, tot
eventibus prosperum & memorabile, velut
pondus quoddam gaudio communi affert.
Accedit mox ingens domesticumq; **PRIN-**
CIPII nostro lætitiæ argumentum, nascitur-
qve ex gaudio gaudium; quod non succu-
buit partus dolori Patriæ Mater, non extincta
flendi causas præbuit; sed felicissimi uteri Pu-
erpera superavit labores, datoqve lætissimæ
foecunditatis experimento, dulcissimi Infan-
tis Pueri curâ aspectuqve oculos æqvè ac a-
nimum oblectat. Quam incredibilem vo-
luptatem par est celebrari, cum exquisitissi-
ma

ma gratulandi pietate erga Maximum Prin-
cipem; qui summo amore complectitur.
CHRISTIANAM EBERHARDINAM,
sanctissimæ virtutis Conjugem, eamq; fert in
oculis, ac foedere, & felicitate necessitudinis
Brandenburgicæ, imminentem familiæ or-
bitatem arcet. Impune mihi sit, ad ipsam
Te, **INCOMPARABILE MATRONA-
RUM DECLUS,** verba dirigere; Te ipsam
hîc alloqui, & propius salutare. Solus Te,
præter summas virtutes tuas, quas mea qui-
dem non capit oratio, hic perauspicatus Na-
talis sempiternâ gloria afficit. Dedisti præ-
sidium, cui fortuna Principis nostri insistit;
erexisti, e squalore prope orbitatis, Rem-
publ.; solata es, uno felici hoc partu, omnes
tuæ Saxonix cives & clientes; fovisti spes
nostras, & prope lapsas refecisti. Magnum
DEI tuumque munus est, susceptus ex
Te, destinatusque Reip. propugnator! Non
tacebunt Te annales, & memoriæ publicæ;
nec, inter maximorum Principum acta, tuæ
unquam obscurabuntur laudes. Æqvabis,
id quod sperant tui & optant, quodque pre-
cibus se impetraturos confidunt, nisi & jam
tum, quæ tua felicitas est, æqvasti, **SOPHI-
AS,**

AS, & MAGDALENAS SIBYLLAS,
Brandenburgici sanguinis Principes Saxo-
niæ auspiciatissimas; quæ tot Germaniæ He-
roas ac Heroinas, tantam exoptatissimorum
Principum progeniem dederunt. Ac scio,
haud offendi moderationem tuam, DO-
MINA, si Te exæquari cum SANCTIS-
SIMA VIDUA, Regii sanguinis Princi-
pe, Matreque communi, quam non secus
ac Filia observas, sincerè meritoque exo-
ptent: quamvis Illa, quò est in Rempubl.
amore summo, haud patiatur, communem
hanc felicitatem includi arctius, angustius-
que circumscribi, quam ut res ipsa ferat,
quæ nullos gaudii terminos admittit; cu-
jus tanta vis est, ut videre mihi videar hu-
mescentes præ lætitia oculos, sublatasque
ad coelum manus, quod malis, quibus Pa-
triæ causa tangebatur, tandem finis est im-
positus, & Numine placato, maximus bo-
norum cumulus in Saxoniam effundi coe-
ptus. Erit integrum, spero, A. hinc latius
paulisper digredi, & pace vestra, extra Saxo-
niæ divagari limites, aut ad remotos disfitos-
que populos penetrare. Est inter Reges Prin-
cipesque quædam, velut naturâ conciliante,
ami-

amicitia & societas: ut cum publicâ cujusque
fortuna prudenter moveri & angi soleant; ;
tum privata haud minus afficiantur, quæ
publicam sæpissimè temperat & moderatur.
Uti qualem in rebus domesticis habeas so-
cium, permultum refert; cujus vel industriâ
augeantur illæ, vel negligentia ruant & dila-
bantur: sic de magno illo gentium com-
mercio nihilo secius statuendum, aut nihil
dissimile credendum. Neque verò unquam
extitit tempus, quo tanta animorum consen-
sione, coaluit omnis, quæ meliorum est par-
tium, Europa; nec facile Germania sigillatim
tam concordibus Procerū animis conjuncta
fuit. Itaq; penetrat in longinquas quasq; oras
hic nuntius, trahitque in partem varias gen-
tes, & hujus amplitudine gaudii, in jucundissi-
mum consortium asciscit Reges & Principes,
quibus omnibus innotuit FRIDERICI
AUGUSTI vigor; quem paucissimi sunt, quin
coram aspexerint, & propius cognoverint,
ex eoque incredibilem voluptatem se perce-
pisse affirmarint. Transit in ultimum usque
Septentrionem hujus Natalis gloria, magnos-
que Reges afficit & exhilarat; quos cogna-
tio propinqua, vel affinitas, & antiqva pacti-
onum

F

onum

onum jura Saxoniae conjungunt. Non se
disjungit **GUILIELMUS**, tam Britanniae,
quam Europae melioris vindex immortalis,
& gaudii se participem fatetur; qui optimè
cupit Germaniae, Saxonumque in primis for-
tunae favet, & illos amicos carosque habet,
procedenti que in rerum maximarum cursu,
pari exemplo, Principi nostro impense stu-
det. Jam quid memorem vicinos maximos-
que Principes; quos aut vetusta fides, aut ju-
cunda securaque cum nostro vicinitas, aut
necessitudines connubiis contractae & firma-
tae excitant? quid alios, quos patrocinii & tu-
telae auctoritas hortatur & inflamat? Hoc
volunt illi Legationum tam frequentes tam
splendidi apparatus; hoc multa passim & pu-
blica in Aulis laetitiae signa; hoc confluentes
per literas nuntiosque gratulationes abun-
de evidenterque commonstrant. Augeo
magnitudinem, & confirmo veritatem gau-
dii nostri, quum non unius diei, aut exigui
temporis felicitate contineri; sed quiddam
singulare & sempiternum inesse ostendo;
quum in futurum prospicio, & spem ad gau-
dium adjungo. Atque hic iterum concedes ve-
niam, **BENIGNISSIME ELECTOR**, (sunt
enim

omnino

enim

enim velut in Te præfente oculi mei, non sine
ingenti verecundia & iusto metu, defixi;) ut
quod cum animo cogito, ore testari & dicere
mihi liceat, pulcherrimæque expectationis o-
mina quædam ferre, & spondere eventus bo-
nos. Magnum aliquid & venerabile sola Spes
habet; præsertim si per se magna sit, & quasi di-
vinatio quædam, suis innixa præfensionibus,
& aptis congruentibusq; conjecturis. Est &
futurarū rerum scientia quædam, nec ita versa-
mur in tenebris, quin quæ sint eventura, velut
in causis suis, prudenti ratiocinatione conse-
quamur. Non augurabimur ex avium volatu
& cantu; nec e tripudiis solistimis aut somniis;
non fabulis Bactrianorum Chaldeorumque
nugis; quibus misera ac superstitiosa antiqvi-
tas se fatigavit. Unum nobis omniumque
maximum, certè verissimum, & quod sum-
mam rei complectitur, auspiciū sit, Tua Pa-
tris, FRIDERICE AUGUSTE, PERFE-
CTISSIME PRINCIPUM, imago: quam
dum refert divinæ stirpis PUER, dum tuo vel-
ut sanguine regitur; non potest fallere suo-
rum spem, nec potest non in summa Saxo-
niæ decora succrescere. Sunt nempe tena-
cissimæ originis suæ, divinæ mentes, & eni-
tun-

tuntur altiùs, atqve ad ortum suum, haud se-
cus ac generosa semina, contendunt. Sic
tu Divum GENITOREM tuum exprimis,
DOMINE, ut Ille AVOS; sic reddet TE o-
lim, DOMINE, TUUS, ut & in Nepotibus
feris agnoscaris. Ex Te, DOMINE, quid ni-
si summum, quid nisi fortissimum nasci cre-
dibile est? Nobilis & frugi arbor, non pro-
creat frutices, aut virgulta progerminat. Ad
hæc indoles talis, educata tam faustis pene-
tralibus; tantis nutrita exemplis, tantâ pru-
dentia, tantis consiliis instituta; tam recto &
indeflexo itinere, per laudis paternæ avitæ-
que ducta vestigia, quò non procedet vir-
tutis? quò non ascendet laudis? Quantum
posteris seculis non afferet lumen? Ample-
xamur omnes, & veneramur, DOMINE,
Imperium tuum, justum & clemens, seve-
rum & facile; qui necessariis etiam suppliciis
ingemiscis, tantum abest, ut delecteris inju-
riis: manet Legibus, manet literis honos;
nil æternæ veritatis concuti, nihil publicæ u-
tilitatis pateris convelli. Dabis & nobis o-
lim similitimum Tui Principem; dabis Titum
quendam & Trajanum; & quid aliena con-
fector? dabis MAURITIOS, dabis FRIDE-
RICOS,

RICOS, dabis AUGUSTOS, dabis ALBERTOS, dabis JOHANNES GEORGIOS, (at quanta ad omnem posteritatem Nomina!) quos immortalis DEUS calamitosissimis temporibus excitavit, parisi animi & incredibilis virtutis Heroes. Sæpe multumque mecum tacitus agitavi, quam providè Numen prospiciat humanis rebus; dum convenientia temporibus ingenia adornat, & quum vel tristia imminet, maximum ad omnes casus, præsentemque animum largitur: vel ubi implicatæ & impeditæ insidiis vices impendent, igneam in agendo audendoque celeritatem, moventemque subito vim, quocumque se intendat, animæ, per quam aut ferre opem afflictis, aut tueri innocentes, aut imperiorum fortunam dispensare constituit, impertitur. Intueor nonnunquam, summa cum voluptate, in pios Heroes veroque Numini deditos; & Moysen, Josuam, Davidem recogito; quos non tantum ingenio, sed interiore cum Deo etiam commercio colloquioque æstimari oportet. His dum comparo MAJORES Tuos, DOMINE, divinos Principes; veneror iterum illam Æternam Mentem, quæ huic

G nostro,

nostro, quod vivimus, proximoque ævo,
nullis retro varietate eventuum, rerumque
& bellorum, præter omnem hominum expe-
ctationem confectorum, gravitate secundis;
tot rara ingenia & fecit, & a sorte vulgari
exemit, ac super omne privatum nomen,
evexit; quæ contendere cum maximis o-
mnium seculorum Heroibus, & certare de
gloriæ possessione queant. Quæ recolentem
animo subinde jam fiducia moderantis cun-
cta, & Saxoniam mirificè ornantis DEI subiit,
fore, ut difficilimis, in quæ incidit, tempori-
bus, PRINCEPS JUVENTUTIS, non mino-
rem Parentibus Majoribusq; animum sit de-
monstraturus. Et quid nî certissimè ita con-
siderem? Quod si enim disertissimus Tra-
jani laudator, suum Principem liquere, ait,
divinitus inter altaria & aras constitutum:
quantò hoc magis de nostro amoris divini
Pignore affirmandum est? quod profecto
tot pii homines, tot boni cives, antequam
nasceretur, assiduis precibus votisq; expetie-
runt; ubi tandem coelesti auspicio editum in
lucem, summæ Numinis benignitati & cu-
ræ commendant, causamque hanc innocen-
tiâ & religione sua tuentur. Audiet, audiet

exo-

exorantium pro Te, DOMINE, pro SO-
BOLE TUA, vota tuorum civium, ille
magnitudinis tuæ auctor DEUS: qui non
modò ea accepta rataque habuit, cum nasce-
retur hoc novum Spei nostræ Præsidium;
sed etiam jam ante non obscuris id Patriæ
nostræ indiciis monstravit. Nam, quod in
illam anniversariam temporis partem inci-
dit tanti ortus PRINCIPIS, quâ primùm divina
emergere iterum ad solidam claramque lu-
cem coeperunt; quæ tot literarum domici-
lia instaurata sunt; & ipsa hæc bonarum ar-
tium fidelissima Nutrix principali munificen-
tia suos habuit natales; quæ recuperatæ pa-
cis, redditæque gentibus tranquillitatis, tam
memoranda in annalibus leguntur exempla;
quæ ipsa Germania post funestum ac civile
bellum, velut sedatis repente fluctibus, & mu-
tata tempestate, intra proximos quinquæ-
ginta ferè annos, felicissimè conqviavit: quid,
nisi literarum magnum STATOREM, religionis-
que DEFENSOREM, invictum, pacificum, ac for-
tunatum PRINCIPEM, certiori omine designet?
Atque utinam hoc e coelo devocatum Mu-
nus, reducat tandem salutare mortalibus ac
dulce Pacis nomen! Quanquam ideo non
abji-

abjicimus animum, nec arma deponimus,
natumque tunc PRINCEPEM, quum injustam
vim propulsant Germani, FORTEM quoque ac
BELLICOSUM, his non fallentibus signis, præsa-
gimus. Ipsa ut in servitutum non desinat, aut
mox in inane nomen abeat; ut sit fida, ut
sincera, ut tuta, ut in posteros transmittenda
Pax, non facilius, quam sub clypeo speran-
dum. Sed hic statuam orationi finem, ne
majestatis fastigii tui, CLEMENTISSIME
ELECTOR, quod se mihi perpetua religio-
ne offert, immemor esse videar. Ad sum-
mam felicitatem hoc unum sufficere mihi
putaverim; si respicere digneris propitia
mente, & benignis oculis, obsequentissimè
colentem te, & adorantem quamvis ex lon-
ginqvo. Nec verò offendi Te fines, tam
amans, tam facilis, tam indulgens & bonus
PRINCEPS, quod nullo dicendi cultu se com-
mendet oratio; quod non capiat ubique
magnitudinem fortunæ tuæ, non expleat
sublimitatis tuæ desiderium, & animi vim
divinam. Impotentissima, DOMINE, res
est gaudium, præsertim ubi vehementius ur-
get; ut non sit facilè tam compositæ quis-
quam mentis, quin pronuntiantem, aut ob-
ruat

ruat copiâ, aut dignitate fugiat, conantem-
que non nisi lecta proferre ipse interior mo-
tus prohibeat ac perturbet. Scio, DOMI-
NE, probari Tibi letitiam, quæ operosa
fit, si maximè sui ratione, ad apicem illius,
quod in Te est, gaudii, non pertingat. Nu-
men ipsum, scis, placari meditatione bono-
rum, quibus cumulat continenter morta-
les: etsi nemo vias altissime conditas cau-
sasque vestigandoprehendat. Reliqua jam
pietatis, da veniam, ut solemni voto com-
plectar (quæ enim sit alia nobis ad Princi-
pes nostros gratulatio, quàm quæ faustis o-
minibus absolvitur?). Sed horum jam sum-
mam vita FILII, salus FILII, incolumitas
FILII comprehendit. Hunc igitur, velis ju-
beas, DOMINE, permittasque, obsecro, ut
prius Te auctore accedam, quàm enim ausim
aliter? & supplicedemissoque animo consa-
lutatum, ex hoc sanctissimo loco lætis omni-
bus prosequar, fidemque devotissimi ob-
sequii præstem.

Itaque salve, FRIDERICE AU-
GUSTIE, ELECTORATUS HE-
RES! Salve, inquam, exoptatissime JU-
VENTUTIS PRINCEPS! Salve nostra

H

Volu-

Voluptas, nostrum Delicium ; nostra Salus !
Salve PROPAGO IMPERII SAXONUM !
Firmasti nos Natali tuo , quia firmasti Pa-
triam, exhilarasti Parentes ; fulcivisti Rem-
publ. quæ tua nativitate novum recepit ro-
bur. Salve iterum & iterum, ac Vive diu-
tissimè, superstes esto longissimè ! Inscribe-
mus fastis æternùm mansuris Nomen tuum,
& NONAS OCTOBREIS posthac non SPEI cui-
dam remotæ ; sed proximæ , sed SAXO-
NUM SPEI, sed imò SPEI AUGUSTÆ
& Munimento Stirpis Martiæ Saxonum so-
lemniter consecramus. Annues mihi, &
mecum optantibus civibus tuis, OPTIME
PRINCEPS ; qui si quid habent fausti, si
quas eximias laudes, omnes in Te conferunt
& cumulant. Annues porro, FORMOSIS-
SIME PRINCIPUM ; cujus dum intæor
oculos eosque nitidos, & divinum quen-
dam vigorem spirantes ; cum explicatam
frontem ; cum ora genasque ; cum superci-
lia, majestate stirpis digna ; cum brachia di-
metior ; cum omnia lineamenta contemplor ;
fulgore me præstringi sentio, oculosque vel-
ut ad Solis radios summitto, sacrumq ; men-
tis tuæ domicilium veneror, & conniten-
tem

110V

H

tem

tem ad summa Majorum decora, haud fal-
laci futurorum cogitatione in Te præci-
pio. Habes fiduciam fati diviniore & me-
lioris Octavio; pro quo tot populi, tot fi-
dæ gentes, quotidie supplicant, manusque
ad coelos tendunt! Molire incrementa æ-
tatis, **MAXIME PRINCEPS**; succresce fe-
liciter; nitere majores ad gradus; præsta Te
nobis **MAXIMI PATRIS FILIUM**, & exhi-
be Eum **SAXONIÆ PRINCEPEM**, QVEM
DARE POTEST SUMMA VIRTUS, ET MAXIMA
FORTUNA!

Et hæc mihi justa jam sit voto-
rum summa; ut qui solus genti-
bus ac terris Rectores dat, IMMOR-
TALIS ET ÆTERNUS DEUS; qui datos
suo tuetur Numine; qui nutu
temperat Imperiorum fortu-
nam; qui **HANC SAXONUM**
REMPUBL. tantis auctibus ex-
tulit, Te fervet ac sospitet, **FRI-
DERICE AUGUSTE**, FOR-
TUNATISSIME HERES; ut
custo-

custodiat ipse; ut faveat huic
muneri, quod in Te nobis est e-
largitus, addatque perpetuita-
tem: ut requiescenti in te Patri,
nihil adversi eveniat, nihil con-
tra sententiam accidat; sed in-
cumbenti in Europæ securita-
tem & quietem, maximarumque
rerum molem sustinenti, & inter
prælia atque arma versanti, con-
stans hæc domi obtingat felici-
tas, quæ curas soletur, ornatumque
Regiis & maximis necessitudi-
nibus erigat semper & oblectet.
Ita tandem DEUS TE servet, IN-
DULGENTISSIME ELE-
CTOR; nam & in sanctissimo
Nomine tuo desinere mihi lice-
at, cuius auspicio dicere sum ex-
orsus. DEUS Te fortem, invi-
ctumque conservet; &, ut nihil
hodi-

hodiernæ felicitati desit, NATUM
ILLUM TUUM a temporum injuriis
defendat, foveat & protegat :
neqve hanc Tibi felicitatem eri-
pi patiatur; qvin, præstet immor-
tale Genus, & æternum Sangui-
nem tuum. Prosperet consilia,
& SOCIAM VITAE SAN-
CTISSIMAM custodiat, quam
in deliciis tuis numeras, atqve in
rebus humanis carissimam ha-
bes. Servet MATREM RELI-
GIOSISSIMAM, Regia stirpe
oriundam, Principem sine ex-
emplo maximam; sine qua so-
lidum Tibi gaudium haud con-
staret. Servet & efflorescere ju-
beat, SAXONICUM NOMEN,
quod Germaniam & vicinas re-
motasqve orbis partes implet,
conjunctasqve cum eo DANI-
CAS

CAS & BRANDENBURGI-
CAS Necesitudines pari felici-
tate moderetur, & utriusque stir-
pis REGES AC PRINCIPES LONGE MAXI-
MOS corroboret; quorum fortu-
nam ad complementum gaudii
tui pertinere arbitraris. Quò
summa illa & excelsissima, in
quam unus hic omnes adduxit
Natalis, spes & expectatio, omni-
bus sit expleta partibus, omni-
busque absoluta numeris, & nul-
la sui parte unquam deficiat
aut labefactetur.

DIXI.



Sinn über dem höchstgesegneten
 Geburtstag unsers Durch-
 lauchtigsten Chur-Prinzens/
 in dessen Betrachtung und Anden-
 cken ganz Sachsen sich aniesz er-
 freulichst aufrichtet / und zugleich alles bisherigen
 Kummers auff einmahl entschüttet; keinem andern
 seine innigliche Freude öffentlich zu bezeigen/vergönnet
 wäre/als welchen Churfürstl. Huld und Gnade hoher
 Bedienungen gewürdiget; und niemande / einen de-
 mützigsten Glück-Wunsch abzulegen / verstattet
 würde / er könne denn die Grösse der Freude und Ho-
 heit dieses Glücks mit zulänglicher Beredsamkeit
 erreichen/und nicht weniger die unvergleichliche Hoff-
 nung/ so sich auff allen Seiten hervor thut/ recht ge-
 schicklich und anständig darlegen: so wolte ich glau-
 ben/ daß nicht meine Unbedachtsamkeit allein / höchst-
 straffällig seyn dürffte; sondern es möchte auch nicht
 leicht jemand gefunden werden/ welcher seiner selbst so
 gar vergessen / und auff eine so gar thörichte Vermes-
 senheit / ihme dergleichen Geschicklichkeit zuzutrauen/
 gerathen solte. Denn/ was mich betrifft / wäre es ein
 höchst-verwegenes und straffbares Beginnen / wenn
 dasjenige Glück / welches / auch bey hohen meriten/
 von der Gnade und Hand eines grossen Fürsten in
 Demuth zu erwarten / ich mir ungeschcut gleichsam
 selbst zueignen wolte/ oder doch eben als ob ich Recht
 dazu hätte/ mich sonder einigen gebührenden und an-
 ständigen Qualitäten / unter so viel vortreffliche Män-
 ner mit eindringen. Und solten vielleicht andere ihnen
 hierinnen ein mehrers zutrauen können; so möchte
 gleichwohl der Allerberedteste bey einer solchen Unter-
 neh-

nehmung sich entsetzen / und in Erwegung eines der-
massen genauen Urtheils / mit jenen Rednern / welche
sich zu Lion solten hören lassen / alsbald erblaffen /
und gänzlich verstummen. Denn gewißlich ist dieser
höchsterfreuliche Tag / nicht etwan als der Ge-
burths-Tag eines geringen oder privat-Menschen / noch
auch nur einer einzelnen hohen Person zu betrachten ; son-
dern es ist an demselben zugleich das ganze werthe Va-
terland / und sämtliche gemeine Wesen dieser Sächsischen
Lande / ja die Sämtliche hohe Herrschafft selbst /
wie von neuen gebohren worden / und begehen alle
gleichsam auff einmahl Ihr eigen hohes Geburts-
Fest : indem derselbige alle nur ersinnliche Ergözig-
keit in sich begreiffet / und zugleich so vieler Mächti-
gen Könige / und Fürsten / nebst anderer unzählba-
rer Menschen Gemüther / zu hoher und unglaublicher
Hoffnung und Freude ermuntert hat. Jedem-
noch / Durchlauchtigster Churfürst / Gnädig-
ster Herr / (denn wie solte Ew. Churf. Durchl.
ich nicht / als gegenwärtig / in tieffster Demuth anreden /
und veneriren / indem meine treuehorsaamste Pflicht
Dieselbe vor Abwesend zu halten nicht zulasset ?) Ew.
Churf. Durchl. untersagen / nach Dero Weltgeprie-
senen clementz und Güte / keinem von Dero treuen
Untertanen / seinedemüthigste Freude unterthänigst zu
bezeugen / und gestatten einem jedweden / in Unterthä-
nigkeit Glück zu wünschen / so / daß sich auch niemand /
durch die schlechte Abfassung seines Anwünschens
darff abschrecken lassen / und wo iemand diesen glückse-
ligen Tag / so gut als er vermocht / feyerlich begangen /
und seine unterthänigste Empfindung auch nur in ei-
ner

ner geringen Probe am Tag geleget / er disfalls keine
Bnignade von Hoher Herrschafft zu besorgen hat. Und
solche unterthänigste Zuversicht machet mich auch füh-
ne / daß in diesen öffentlichen demüthigsten Zuruff alhier
heraus zu brechen mich unterwunden; und zwar umb
so viel mehr / ie bewegendere Ursachen meiner gehor-
samsten Schuldigkeit vor mir sehe; und mit desto grö-
ßerm Eysser / ie größre Begierde iederzeit bey mir be-
funden / der unvergleichlichen gloire **Lw. Churfl.**
Durchl. und Dero Hohen Hauses / mich bestän-
digst / in tieffster soumission zu wiedmen / und gänzlich
auffzuopffern. Zwar ist mir nicht so gar unbekand /
was die Majestätische Herrlichkeit grosser Fürsten bey
dergleichen höchstannehmlichen Begebenheiten vor
Freuden-Zeichen erfordere: doch treue Unterthanen
halten sich billig in ihren Schrancken / und ihr Stand
bringet nichts anders mit sich / erfordert auch nichts
mehr / als daß sie bey erwünschter Geburth eines
Durchl. Brincken / dem Höchsten ihr Danck- und
Lob-Opffer bringen; dem von Gott verliehenen Stuhl-
Erben ihrer Hohen Herrschafft alles ersinnliche Heyl
und Wohlergehen anwünschen / und ihre gehorsamste
Treue ohne Falschheit und Heucheleiy bezeugen. Und
indem dieser unterthänigsten Gebühr und Schuldigkeit
aniesz nachzuleben entschlossen / so wollen **L. Churfl.**
Durchl. mich hierinnen mit gnädigsten Vrlaub anzuse-
hen in Hohen Gnaden geruhen / und zwar als einen Dero
Pflichtschuldigsten Unterthanen / welchen die reverentz
und demüthigste Liebe gegen Dero hochbeglücktes Re-
giment antreibet; Sie wollen einem treugehorsamsten
Vasallen gütigst nachsehen / der sich hierbey seiner theu-
ren Lehns-Pflicht erinnert / und durch das allgemeine
Glück hierzu anreizen läffet; Sie wollen endlich mei-
ner

ner unterthänigsten Danckbarkeit gnädigste permission
ertheilen / wozu in Betrachtung unserer geringen familie
unauffhörlich angeflammet werde / als welche / so
viel sie Durchl. Churfürsten zu Sachsen erlebet /
so vieler mildesten / und gnädigsten Fürsten hat
sie sich unwürdig demüthigst zu rühmen / und so viel
Zeiten sie in diesen werthen Landen zugebracht / so viel
Zuwachs ungemeiner Wohlthaten hat sie empfunden /
daß wo sie irgendwo einiges Wohlstandes genies-
set / sie denselben in alle wege der unvergleichlichen
Hulde / Gnade und Schutz Ew. Churfl. Durchl.
und Dero glorwürdigsten Vorfahren / Christmil-
desten Andenkens / mit ewig-gehorsamster Treue in
Unterthänigkeit zuschreiben wird / und wenn sie den
Grund ihrer künftigen Hoffnung nach dem vergange-
nen setzet / auch aniesz den Durchlauchtigsten
Chur-Prinzen / als einen zu ihrer Wohlfahrt auff-
gegangenen helleuchtenden Stern / demüthigst
verehret. Es giebet sonst dieser Orth selbst an dem
ich stehe / welcher der geziemenden Pflicht gegen
die Hohe Landes-Obrikeit von Alters gewidmet / auch
dieser Gott geheiligte Tempel / in welchem so viel in-
brünstige Wünsche vor die Wohlfahrt Sachsen-
Landes abgelegt worden / nicht geringe Vertröstung
zu gnädiger Erlaubung / und (dafern ich dieses in tieff-
ster Erniedrigung vor Ew. Churfürstl. Durchl.
zugedencken mich erkühnen darff:) es machen mir gleich-
sam die Zustapffen meines Vaters einen Muth / wel-
